fuerunt et suismet com̃odis seruierunt et
aliorum detrimentis se non miscuerunt et
natiuitatis suæ, hoc est animæ rotam inconcussam
intactamque conseruauerunt.

XXVI.

Laus Canum.

Nemo hodierna luce admiretur Auditores
Religiosissimi, si coram venerabili multimque
honorando consessu vestro tantum laborem
ad eximias canum laudes exponendas subeo,
quantum olim Phidias ille artificiosissimus in
una Minerua crepida, ita enim canes virtutum
suarum splendore coruscant, et in omnes gentes,
ut ita dicam, fulgurantes gestorum suorum radios
miserint et apud omnes pene mundi incolas,
apud venatores peritissimos, apud Principes
generosissimos, Reges invictissimos et apud
Imperatores Augustissimos excellentem nominis
sui famam pepererint et iure propter
virtutes laudantur, virtuti enim debetur laus,

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 227r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/fr/zbz/D0147/227r)